

GVSTAVO cedam magno. Hæc solatia victo.
 Opprobrii nostri pars derivetur in Urbem.
 Agmine majori dicar rediturus, & istâ
 Credula, quâ poterit, spe Riga cibetur inani.
 Pòst ubi, fracta malis, tectis exceperit Hostem,
 Dicatur propero perculsa fuisse timore.
 Sic levior fiet moles portata duobus.

Hæc ait, atq; ægro LITHVANVS pectore DVCTOR,
 Irato miscens gemitus fremitusq; dolore,
 Haudquaquam invitos deducit ab Urbe Polonos,
 Ante tubam fortes, ac primo Marte feroces,
 Verùm adversantem fugientes protinus Hostem:
 Ventosâ in linguâ & pedibus queis robur equorum:
 Grande supercilium quibus est vis mascula dicta,
 Contemnens alias probroso nomine Gentes.
 (Hic Genius vulgo. Procerum sed docta per artes
 Ac Gentes alias, meliora dat ignea virtus.)

Cedere sic Socios, & sesquipedantia verba
 Quadrupedantis equi tergo evanescere in auras,
 Ut videt, ut stupet, atq; horrescit pectore Riga!
 Dant gemitum Patres, lachrymarum flumina Matres,
 Virgineiç; chori, pueriç;, metusq; senilis.
 Ora modis gestant passim pallentia miris:
 Pendula vix tollunt capita, & vox faucibus hæret.
 Immoderata prius, multorum audacia cedit,
 In fumos abiens, sociosq; sequuta fugaces.
 Quoç; magis sanguis quorundam efferbuit intus,
 Hoc magis exhaustus subito calor ossa relinquit,

Impetus

Discedunt
 Poloni
 cum Euc-
 mio.

Confer-
 natio Ri-
 gensium.